

DEFINITIONES

I. *Cogitationis* nomine complector omne id, quod in nobis est, & cujus immediatè consci sumus.

Ita omnes voluntatis, intellectûs, imaginationis, & sensuum operationes sunt cogitationes. Sed addidi immediatè ad excludenda ea, quæ ex iis consequuntur, ut motus voluntarius cogitationem quidem pro principio habet, sed ipse tamen non est cogitatio.

II. *Idea* nomine intelligo cujuslibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem ipsius ejusdem cogitationis conscius sum.

Adeò ut nihil possim verbis exprimere, intelligendo id, quod dico, quin ex hoc ipso certum sit in me esse ideam ejus, quod verbis illis significatur. Atque ita non solas imagines in phantasiâ depictas ideas voco: imò ipsas hîc nullo modo voco ideas, quatenus sunt in phantasiâ corporeâ, hoc est, in parte aliquâ cerebri depicta, sed tantùm quatenus mentem ipsam in illam cerebri partem conversam informant.

III. Per *realitatem objectivam idea* intelligo entitatem rei representatæ per ideam, quatenus est in ideâ.

Eodemque modo dici potest perfectio objectiva, vel artificium objectivum &c. Nam quacunque percipimus, tanquam in idearum objectis, ea sunt in ipsis ideis objectivè.

IV. Eadem dicuntur esse *formaliter* in idearum objectis, quando talia sunt in ipsis, qualia illa percipimus: Et *eminenter*, quando non quidem talia sunt, sed tanta, ut talium vicem supplere possint.

Nota, cùm dico causam eminenter perfectiones sui effectûs continere, tum me significare velle, quòd causa perfectiones effectûs excellentiùs, quàm ipse effectus continet. Vide etiam Axiom. 8.

V. Omnis res, cui inest immediatè, ut in subjecto, sive per quam existit aliquid, quod percipimus, hoc est, aliqua proprietas, sive qualitas, sive attributum, cujus realis idea in nobis est, vocatur *Substantia*.

Neque enim ipsius substantiæ, præcisè sumptæ, aliam habemus ideam, quàm quòd sit res, in quâ formaliter vel eminenter existit illud aliquid, quod percipimus, sive quod est objectivè in aliquâ ex nostris ideis.

VI. Substantia, cui inest immediatè cogitatio, vocatur *Mens*.

Loquor autem hic de mente potiùs, quàm de animâ, quoniam animæ nomen est æquivocum, & sæpe pro re corporeâ usurpatur.

VII. Substantia, quæ est subjectum immediatum extensionis, & accidentium, quæ extensionem præsupponunt, ut figuræ, sitûs, motûs localis &c. vocatur *Corpus*.

An vero una & eadem substantia sit, quæ vocatur mens, & corpus, an duæ diversæ, postea erit

inquirendum.

VIII. Substantia, quam per se summè perfectam esse intelligimus, & in quâ nihil planè concipimus, quod aliquem defectum sive perfectionis limitationem involvat, *Deus* vocatur.

IX. Cùm quid dicimus in alicujus rei natura sive conceptu contineri, idem est, ac si diceremus, id de eâ re verum esse, sive de ipsâ posse verè affirmari.

X. Duæ substantiæ realiter distinguî dicuntur, cùm unaquæque ex ipsis absque aliâ potest existere.

Cartesii postulata hic omisimus, quia ex iis nihil in sequentibus concludimus; attamen lectores seriò rogamus, ut ipsa perlegant, atque attentâ meditatione considerent.

AXIOMATA

I. In cognitionem, & certitudinem rei ignotæ non pervenimus, nisi per cognitionem, & certitudinem alterius, quæ ipsâ prior est certitudine, & cognitione.

II. Dantur rationes, quæ nos de nostri corporis existentiâ dubitare faciunt.

Hoc re ipsâ in Prolegomeno ostensum est, ideòque tanquam axioma hic ponitur.

III. Siquid præter mentem, & corpus habemus, id nobis minùs, quam mens, & corpus, notum est.

Notandum, hæc axiomata nihil de rebus extra nos affirmare; sed tantum ea, quæ in nobis, quatenus sumus res cogitantes, reperimus.

PROPOSITIO I

De nullâ re possumus absolutè esse certi, quamdiu nescimus nos existere.

DEMONSTRATIO.

Propositio hæc per se patet: Nam qui absolutè nescit se esse, simul nescit se esse affirmantem, aut negantem, hoc est, certò se affirmare, aut negare.

Notandum autem hîc, quòd, quamvis multa magnâ certitudine affirmemus, & negemus, ad hoc, quòd existamus, non attendentes; tamen, nisi pro indubitato hoc præsupponatur, omnia in dubium revocari posset.

PROPOSITIO II

Ego sum debet esse per se notum.

DEMONSTRATIO.

Si negas, non ergo innotescet, nisi per aliud, cujus quidem (per Ax. 1.) cognitio, & certitudo prior erit in nobis hoc enunciato, *ego sum*. Atqui hoc est absurdum (per præc.); ergo per se debet esse notum, q. e. d.

PROPOSITIO III

Ego, quatenus res constans corpore, sum, non est primum, nec per se cognitum.

DEMONSTRATIO.

Quædam sunt, quæ nos de existentia nostri corporis dubitare faciunt (per Ax. 2.); ergo (per Ax. 1.) in ejus certitudinem non pervenimus, nisi per cognitionem, & certitudinem alterius rei, quæ ipsâ prior est cognitione, & certitudine. Ergo hæc enunciatio, *ego*, quatenus res constans corpore, *sum* non est primum, nec per se cognitum, q. e. d.

PROPOSITIO IV

Ego sum non potest esse primum cognitum, nisi quatenus cogitamus.

DEMONSTRATIO.

Hoc enunciatum, *ego sum res corporea aut constans corpore* non est primum cognitum (per præc.); nec etiam de meâ existentia, quatenus consto aliâ re præter mentem, & corpus, sum certus: nam si aliquâ aliâ re à mente, & corpore diversâ constamus, ea nobis minùs nota est, quàm corpus (per Ax. 3.): quare *ego sum* non potest esse primum cognitum, nisi quatenus cogitamus, q. e. d.

COROLLARIUM.

Hinc patet mentem sive rem cogitantem notiozem esse corpore.

Verùm ad uberiorem explicationem legantur Art. 11 & 12. Part. I. Principiorum.

SCHOLIUM.

Unusquisque certissimè percipit, quòd affirmat, negat, dubitat, intelligit, imaginatur etc. sive, quòd existit dubitans, intelligens, affirmans, &c. sive uno verbo, *Cogitans*: neque potest hæc in dubium revocare. Quare hoc enunciatum *Cogito*, sive *sum Cogitans* unicum (per Prop. 1.), & certissimum est fundamentum totius Philosophiæ. Et cùm in scientiis nihil aliud quæri, neque desiderari possit, ut de rebus certissimi simus, quàm omnia ex firmissimis

principiis deducere, eaque æquè clara, et distincta reddere, ac principia, ex quibus deducuntur: clarè sequitur, omne, quod nobis æquè evidens est, quodque æquè clarè, & distinctè, atque nostrum jam inventum principium percipimus, omneque, quod cum hoc principio ita convenit, & ab hoc principio ita dependet, ut si de eo dubitare velimus, etiam de hoc principio esset dubitandum, pro verissimo habendum esse. Verùm, ut in iis recensendis quàm cautissimè procedam, ea tantùm pro æquè evidentibus, proque æquè clarè & distinctè à nobis perceptis in initio admittam, quæ unusquisque in se, quatenus cogitans, observat. Ut ex. grat. se hoc, & illud velle, se certas tales habere ideas, unamque ideam plus realitatis, & perfectionis in se continere, quàm aliam; illam scilicet, quæ objectivè continet esse, & perfectionem substantiæ, longè perfectiorem esse, quàm illam, quæ tantùm objectivam perfectionem alicujus accidentis continet; illam denique omnium esse perfectissimam, quæ est entis summè perfecti. Hæc inquam non tantùm æquè evidenter, & æquè clarè, sed fortè etiam magis distinctè percipimus. Nam non tantùm affirmant nos cogitare, sed etiam quomodo cogitemus. Porrò etiam illa cum hoc principio convenire dicemus, quæ non possunt in dubium revocari, nisi simul hoc nostrum inconcussum fundamentum in dubium revocetur. Ut ex. grat. si quis dubitare velit, an ex nihilo aliquid fiat: simul poterit dubitare, an nos, quamdiu cogitamus, simus. Nam si de nihilo aliquid affirmare possum: nempe quòd potest esse causa alicujus rei: potero simul eodem jure cogitationem de nihilo affirmare, ac dicere me nihil esse, quamdiu cogito. Quod cùm mihi impossibile sit, impossibile etiam mihi erit cogitare, quòd ex nihilo aliquid fiat. His sic consideratis, ea, quæ nobis impræsentiarum, ut ulteriùs pergere possimus, necessaria videntur, hîc ordine ob oculos ponere constitui, numeroque Axiomatum addere; quandoquidem à Cartesio, in fine Responsionum ad secundas Objectiones, tanquam axiomata proponuntur, & accuratior, quàm ipse, esse nolo. Attamen, ne ab ordine jam incepto recedam, ea utcunque clariora reddere, & quomodo unum ab alio, & omnia ab hoc principio, *ego sum cogitans*, dependent, vel cum ipso evidentiâ, & ratione conveniunt, ostendere conabor.